



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opusculum Theologico-Canonicum De Sponsalibus

Kugler, Johann

Norimbergæ, 1705

Quæstio VI. An valeant Sponsalia ante septennium inita si malitia suppleat
ætatem? Ex num. 19.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40883

fed tantum de iis, quæ æstimationem rei recipiunt; & hæ ex tacita voluntate contrahentium, non sunt ad factum præcisè, sed ad factum, vel interesse. Aliud est de factis, quæ nullo pretio compensari possunt, ut sunt Sponsalia, & matrimonium. Cæterum, etiam scriptum est: *Aliud pro alio invito creditori solvi non potest. l. mutuum 2. §. 1. ff. de Reb. Cred.*

78. Ob. 6^o. Contra 2^m. partem. Possunt Sponsalia esse jurata, ergo saltè eo casu valebit vis præcisa. R. C. Antec. N. Conseq. ut patet ex cap. *Requisivit*, & C. *Ex literis*, quæ agunt de Sponsalibus juratis; unde c. *Ex literis* quod coactionem præcipit, benè subdit: Nisi rationabilis causa obstiterit: præstat nimirum tolerare perjurium, quàm alia mala graviora & stabilia ex invitis nuptiis oritura; imò nec perjurium propriè est, si quis rebus mutatis, non servet, quod juravit, quia cum juraret, intendebat servare promissa.

QUÆSTIO VI.

An valeant Sponsalia ante septennium inita si malitia suppleat ætatem?

Ex num. 19.

79. **D**icitur malitia ætatem supplere, si ante septennium juxta num. 19. pro Sponsalibus requisitum, adsit usus rationis, peccati mortalis capax. Negativam tenent complures apud Sanchez, præsertim *Panormitanus*, quem ex Recentioribus sequuntur *Palau D. 1. p. 6.*

D 5

n. 8.

n. 8. *Facchineus l. 3. Controv. c. 26. König super tit. de despons. impub. n. 5. Mastrius citans, Aversam Brancatum &c.* Sed teste Pontio communis est sententia affirmans, quam tenent *S. Th. 4. Dist. 27. q. 2. a. 2. ad 7. Sanch. l. 1. D. 16. n. 9. & 14. Laym. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 16. Ilfing tr. 6. D. 9. n. 11. Bonacina. P. Wex, in suo opusc. Canon. Trid. Wiestner de Can. Imped. p. 2. a. 4. n. 14. Gonzalez, Pirrling, Fagnanus, Canisus, Wagnerek super C. Juvenis 3. de Sponsal. Vallensis super tit. de despons. impub. n. 5. apud hos Covarruv. Prepositus, Barbosa, Conink, Tanner, Amicus, Rebellus, Becanus, Caspensis. Plurimique alij gravissimi, ut inquit Palaus, vel primi nominis Theologi, & Canonistæ, ut ait Wiestner.*

80. Prob. 1^o. Pro Sponsalibus nihil aliud requiritur, quam consensus duorum deliberatus *l. 1. & 14. ff. de Sponsal.* nam *sufficit nudus consensus ad contrahenda Sponsalia l. 4. eod.* atqui hujus sunt capaces ij, in quibus malitia, seu præcox judicium ad mortaliter peccandum sufficiens, antevertit ætatem, ergo. 2^o. Juxta *cap. Juvenis 3. de Sponsal.* ex præsumpto usu rationis propter tentatam copulam carnalem, decidit Pontifex ex Sponsalibus puellam nondum septennem contraxisse impedimentum publicæ honestatis, quod non contraxisset, nisi Sponsalia fuissent valida: Nam non *præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. Reg. 52. J. in 6.* 3^o. Matrimonium etiam ante pubertatem

tema

tem contractum, valet, si malitia, seu potentia generandi suppleat ætatem *c. 9. & ult. de Despons. impub.* quamvis regulariter pro valore Matrimonij requiratur pubertas contrahentium. *c. 6. 10. 11. eod. tit. l. 4. ff. de ritu nupt.* ergo etiam (& quidem à potiori, cum propter eorum dissolubilitatem facile remedium adesset, si malè contraherentur) valebunt Sponsalia, si discretio, & usus rationis ætatem præveniat; præsertim cum Sponsalia sint via ad matrimonium, ità ut in materia capaci de his statutum censeatur, quod statuitur de matrimonio. *l. Oratio 16. ff. de Sponsal. 4º.* Septennium præcisè requiritur propter præsumptum in ea ætate rationis usum, ergo si constet eum priùs adesse, valebunt Sponsalia. *arg. c. 13. §. Quod si. de Restit. Spoliat. c. 44. de Sent. ex commun.* Nec peccant sic contrahentes, saltèm mortaliter, ut cum Sanchez, & aliis docet Palauus n. 11. quamvis longiore tempore ante septennium contraherent, dummodo de usu rationis certò constet. Sanchez loco cit.

81. Ob. 1º. Frustrà statuitur pro Sponsalibus septennium, si valent priùs contracta, sed dici simpliciter potuisset, Sponsalia valere inter præditos usu rationis, cujuscunque ætatis sint. Ergo. R. 1º. Indirectè. Ergo etiam frustrà statuuntur anni determinati pubertatis pro matrimonio; sed dici posset simpliciter inter eos valere, in quibus adest perfecta potentia generandi. R. 2º. N. Antec. Nam pro hoc determinatum est septennium, ut præsertim in foro externo, in casibus Ordinariis, vel

vel etiam in dubiis, si de pleno usu rationis non constet, præsumi, & decidi possit pro valore Sponsalium, & pro non valore, ante septennium. Cæterum nec post septennium completum Sponsalia valerent, si constaret usum rationis necdum adesse; nam præsumptio cessat, ubi constat de veritate *c. Puberes. 3. de despons. impub.*

82. Ob. 2. Quando certa ætas præscribitur, non licet eam prævenire, nisi lex id expressè permittat, ut patet in professione Religiosa, & in testamentis. Atqui pro Sponsalibus determinatè præscribitur septennium; & priùs inita simpliciter annullantur. *c. 4. 5. 13. de Despons. impub.* nec ullibi approbantur priùs inita. Ergo. Resp. ad Maj. N. liij *expressè*; Sufficit enim si id permittat implicite, vel, prout Vallensis loquitur, in æquivalenti; in quantum matrimonium permittitur, & approbatur, si malitia præveniat ætatem. Præterea satis expressè favet jus utrumque citatum, unà cum plerisque Authoribus. Nihil tale extat pro valore professionis, aut testamenti. Accedit, quòd professio sit contra inclinationem naturæ, majorémque habeat difficultatem, quàm Sponsalia; insuper semel facta dissolvi non potest, adeoque strictiùs in illa tempus præfixum observandum est, quàm in Sponsalibus.

83. Ob. 3^o. Nec leges, nec Canones pro conclusionem citati probant valorem Sponsalium ante septennium. Ergo. Antec. prob. 1^o. Canones *c. 4. 5. 13. de desponsat. impub.* requirunt simpliciter septennium, ergo contra eos non prævalent

valent leges, si dentur aliquæ his capitulis oppositæ. 2^o. *Lex 14. ff. de Sponsal.* licet dicat à primordio ætatis Sponsalia effici posse, dummodo contrahentes intelligant, quid agant, mox subdit conditionem limitantem: *Si modò non sint minores septem annis*; ergo septennium essentialiter requiritur. 3^o. Leges tantùm insinuant pro Sponsalibus *jure natura*, non requiri determinatam ætatem, dummodo constet de usu rationis, ex quo non sequitur valere *jure positivo* Sponsalia ante præscriptam ætatem contracta; vel dicunt stante septennio ea valere, dummodo constet de usu rationis, non autem valere ante septennium. 4^o. Neque *cap. Juvenis* quidquam evincit; nam quamvis asserat ex Sponsalibus cum septenni puella contractis fuisse ortum publicæ honestatis impedimentum, dici poterit illa Sponsalia vel fuisse dubia, vel priùs quidem irrita, verùm post septennium fuisse novo consensu renovata, & revalidata; juxta *c. Un. de Sponsal. in 6.* vel jure antiquo impedimentum illud contrahi potuisse ex Sponsalibus quibuscunque, etiam invalidis, dummodo non essent invalida ex defectu consensûs *c. cit.* ergo.

84. Resp. N. Antec. Ad 1^{am}. ejus probationem D. Antec. requirunt septennium, regulariter, præsumptivè (præsumptione tamen mutabili per oppositam veritatem) & si non constet de usu rationis priùs adepto C. extraordinariè N. Antec. & suppositum Consequentis, quòd nempe leges citatæ Sacris Canonibus adversentur, imò, ut aliàs, ità etiam hìc, *Sacrarum statuta*
 Cano-

Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur. c. Intelleximus 1. de Novi Oper. Nuntiat. neque hic obstat Leonis novella 109. dicentis : Sancimus , nè quomodo ante septimum etatis annum Sponsalia constituantur : Nam robur non habet juxta dicta num. 44. præsertim contra jus Canonicum , vel loquitur de casibus ordinariis , unde subdit : atque hoc quidem , quantum ad communem publicumq; Reip. usum attinet , ita vetitum sit.

85. Ad 2^m. R. Subdit conditionem limitantem pro casibus Ordinariis , vel ubi de usu rationis adepto non constat C. secus N. Unde aliæ leges simpliciter sinè dicta limitatione loquuntur ; ut notat *Gonzalez super cap. Accessit de despons. Impub.* & nisi dicta lex sic explicetur , ipsa sibi contradicet , dum ait : *In Sponsalibus contrahendis etas contrahentium definita non est , ut in matrimoniis ; quapropter à primordio etatis Sponsalia effici possunt :* Nam si essentialiter septennium requiritur , hoc ipso erit hæc etas definita ; nec poterunt Sponsalia ante eam à primordio etatis contrahi.

86. Ad 3^m. R. N. iterum Antec. Nam arbitraria est hæc explicatio legum , unius alteriusve Authoris , cum interim oppositum sentiant Authores , teste *Ilfung innumeri* ; & leges accipiendæ sint , prout sonant , nisi quid obstat.

87. Ad 4^m. R. Nec harum explicationum ullum fundamentum extare ; sive in ipso Capitulo , sive in ejus Interpretibus. Et si Sponsalia pubia fuissent , non potuissent inducere impedimenta ;

mentum publicæ honestatis, *arg. Reg. In obscu-
ris &c. f. in 6.* Si fuissent renovata, non di-
cerentur simpliciter cum puella nondum septenni
fuisse contracta, sed fieret mentio illius renova-
tionis. Denique ut *ex Barbosa* notant *P.
Wiestner num. 15.* Sponsalia ex defectu essen-
tialiter requisitæ ætatis invalida, sunt invalida ex
defectu consensûs *legitimi*, ergo illa Sponsalia
ante septennium contracta fuissent invalida ex
defectu consensûs; & sic non peperissent impe-
dimentum publicæ honestatis.

88. Ob. 4. Quamvis in Matrimonio possit
malitia supplere ætatem, tamen ab hoc non bene
arguitur pro Sponsalibus. 1^o. Quia pro matri-
monio stat expressa decisio. *c. 9. § ult. de de-
sponsal. Impub.* non item pro Sponsalibus. 2^o.
Quia esset periculum fornicationis inter tales
Sponsos, ad quod avertendum potius permitti-
tur matrimonium, ante ætatem à jure requisitam,
dummodo malitia ætatem suppleat, tale pericu-
lum autem non est in Sponsalibus ante septen-
nium initis.

89. Resp. D. Antec. non bene arguitur in o-
mni casu, ubi lex vel ratio obstat, nec ullum
habetur sic arguendi fundamentum in jure (Non
bene arguitur in multis casibus (aliàs enim cit.
lex oratio inutilis foret) ubi leges favent, &
canones, & ubi teste Sanchez, Ilfung &c. po-
tius ratio stat pro Sponsalibus, ut ante requisi-
tam ætatem valeant, (cùm post adeptam puber-
tatem liberè dissolvi possint, si forent incom-
moda

moda) N. Ad 1^m. probat. R. etiam pro Spon-
salibus haberi non modò implicitas , sed etiam
fatè explicitam decisionem in *cap. Juvenis* ; &
in legibus pro *Conclus.* citatis. Ad 2^{am}. pro-
bat. R. Quamvis Sponsalia non permittantur ,
ut simile periculum avertatur , eorum tamen va-
lorem probant alia , ut patet ex iis , quæ pro con-
clusionibus sunt adducta.

90. Ob. 5. Septennium pro Sponsalibus
non præscribitur propter præsumptum usum ra-
tionis , sed ad evitandas fraudes , & confu-
siones , quæ facilè orirentur nisi certa ætas sta-
tueretur. Ergo hæc in omnibus requiritur ,
sicut sinè tali præsumptione certa requiritur pro
professione. *Trid. Sess. 25. c. 15. de Regul.*
& pro Testamentis , *l. à qua etate 5. ff.*
Qui testam. fac. Resp. N. Antec. nam hanc
causalem dant cum S. Thoma , passim Autho-
res , sicut à pari certa ætas præscribitur pro
matrimonio , propter præsumptam in ea ætate
potentiam generandi : & ratio est ; quia leges
nihil aliud pro Sponsalibus requirunt , quam
usum rationis , sicut jure naturæ nihil aliud
requiritur. Ergo cum hic adesse soleat cum
septennio , ideo hoc determinatum est ,
quia usus rationis adesse
præsumitur.